

**Ars caenandi : novem canticis depicta / auctore, Carolo Delapryme ...**

**Contributors**

De La Pryme, Charles, 1815-1899.  
Royal College of Physicians of London

**Publication/Creation**

London : Golbourn, William Joseph, 1868.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vyhe2e5m>

**Provider**

Royal College of Physicians

**License and attribution**

This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

69 a 31

3025  
B. Universit.

St. Andrews


# A RS CÆNANDI.



A U C T O R E ,  
CAROLO DELAPRYME, M.A.




EDITIO SECUNDA.



Londini:

EXCUDEBAT W. J. GOLBOURN, PRINCES STREET, COVENTRY STREET.

MDCCCLXVIII.



*From The Author*

# Ars Canandi,

NOVEM CANTICIS DEPICTA.


AUCTORE,

CAROLO DELAPRYME, M.A.,

SS. TRINITATIS COLLEGII CANTABRIGIÆ,  
H. S. TEMPLI INTERIORIS ADVOCATO.

EDITIO SECUNDA.

(*Nulli Secunda.*)



Londini:

EXCUDEBAT W. J. GOLBOURN, PRINCES STREET, COVENTRY STREET.

MDCCLXVIII.

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS	
LIBRARY	
CLASS	bhy 187
ACCR.	23516
SOURCE	
DATE	

S E R E N I S S I M Æ F I L I Æ

G U L I E L M I P A C I F I C I T H A C K E R A Y,

(*Vanitatis Vanitatum Pictoris*)

H A S N U G A S C A N O R A S

(*Eheu quam vanas*)

C O N S A N G U I N E U S D . D . D .

C A R O L U S D E L A P R Y M E .

## TABELLA.

---

I.—PRINCIPIA.

II.—DESIDERANDA.

III.—PROPRIA QUÆ MARIBUS.

IV.—DE RE ORNITHOLOGICA ΕΠΕΑ ΠΤΕΡΟΕΝΤΑ.

V.—FORTITER IN RE.

VI.—SUAVITER IN MODO.

VII.—OVATIO.

VIII.—MERITUM.

IX.—LIQUIDATIO.

*N.B.—In hoc Carmine omnia vocabula, præter Cibaria  
Potoria et Technica, Poetarum optimæ ætatis auctoritate  
fruuntur.*

## TABELLA POETICA.

---

Ars bene Cænandi, depicta Poemate parvo,  
Partibus una *Novem* Musula rite præest.  
  
Principium monstrare bonum pars *Prima* laborat,  
Et Desiderium dulce *Secunda* docet.  
  
Propria quæ Maribus describere *Tertia* gaudet,  
*Quarta* Ornithologis grande ministrat opus.  
  
*Quinta* vices Carnis designat Fortiter in Re,  
Suaviter inque modo Dulcia *Sexta* notat.  
  
*Septima* de rebus variis fit Ovatio opima,  
*Octava* et Meritum, *Nonaque* Vina canit.

## NOTULÆ.

---

2.—Horat. Epist. i. 17. 35. Principibus placuisse viris non ultima laus est.

5.—Anglicè *Reform Club*, cuius Culinae Majestas celeberrima est, et Sceptrum ejus Gastronomicum Soyerus tradidit Francatello.

16.—Judicium Paridis. Virg. *AEn.* i. 31.

17.—Trinity College, Cambridge. Trinitas, i.e., Triunitas, primam habet longam.  
In re Gastronomicâ sub Rege *Hudsono*, cæteris in orbe Collegiis dulcissimè prælucet.

19.—The Inner Temple, ubi Coquus *Minister Interioris* est.

26.—Novem Sartores Homini. Nonne Primus Homo fuisse Sartor videtur?

## ERRATUM.

18.—*For iness read inesse.*

## I.—PRINCIPIA.

---

Principium Cænæ Primo sit Principe dignum,  
Principibus laus est prima placere viris.  
Cænaque digna simul sit Scenâ, Scenaque Cænâ,  
Cænâque et Scenâ digna Culina suâ.  
Digna *Reformatæ* sit Majestate Culinæ,  
Et lautis epulis quas Epicurus amat.  
Dignaque sit nostro *Soyerø*, Rege Coquorum,  
Qui *Francatello* tradidit omne decus.  
Dignaque marmoreis aulis, quas publica virtus  
Vividus et Patriæ condere suasit amor.  
Sit quoque Regali Doctrinæ digna Coronâ,  
Et simul ingenuæ grande sit artis opus.  
Digna Poetarum cætu quos nutrit Olympus,  
Dignaque Musarum Cælicolumque Choro.  
Dignaque sit *Priami* famâ, quam *Gallia* laudat,  
“*Judicium Paridis*” dum *Paris* ipsa colit.  
Digna sit Æde sacrâ nomen jactante *Triunum*,  
Cui non Hexametro carmine iness datur.  
Dignaque sit *Templi* simul *Interioris* honore,  
*Interiora* sibi nam loca Cæna petit.  
Dignaque sit Laribus, sit digna Penatibus æque,  
Dignaque Gastronomis quos Academus alit.  
Sit tamen ille procul qui dicere gaudet et audet,  
“ Nonne Deus victum dat, Satanusque Coquum.”  
Quot Musæ Vati totidem, si credere fas sit,  
Sartores homini sunt, hominesque Coquo.

## N O T U L A E.



1.—Horat. Od. i. 24. 1. “Quis Desiderio sit pudor aut modus.” Consule Desiderium Erasmum, qui de omnibus rebus (et quibusdam aliis) scripsit.

4.—Horat. A.P. 78.

9.—In Statutis cujusdam Collegii de discipulis dicitur, “Bene vestiti, bene nutriti, mediocriter docti.”

17.—*Umbra*, conviva non invitatus. Horat. Epist. i. 5. 28.

23.—Horat. A.P. 323. “Graiis dedit ore rotundo Musa loqui.”

25.—“Benedictus Benedicat,” et “Benedicto Benedicatur” sunt verba Benedictionis quæ in nostris Academiis adhuc supersunt.

## II.—DESIDERANDA.

---

Quis *Desiderio* pudor aut modus esse videtur,  
Sat *Desiderius* noster Erasmus ait.  
Quis Convivarum numerus solet optimus esse,  
Ni fallor lis sub judice semper erit.  
Dum major numero Sapientum debet haberi,  
Musarum numero vix minor esse velit.  
Cuique eadem sedes nullo discrimine detur,  
Gaudeat hospes enim proximus esse pari.  
Sint bene vestiti, docti bene in arte Coquendi,  
Et bene nutritos hæc bona Cæna probet.  
Utque fluat sermo feliciter “*ore rotundo*,”  
De more Arthuri, mensa *rotunda* placet.  
Adsit aprica dies, octavam circiter horam,  
Aptior omnino Vesper amænus erit.  
Solis ad occasum, sanum prope tempus edendi,  
Præcipue stomachus fit memor ipse sui.  
Sit locus *Umbrarum* procul à regione sinistrâ,  
In dapibus nullum vindicet *Umbra* locum.  
Sit benesuada Fames, rationis obediatur ori,  
Sit nisi jejonus non bonus hospes erit.  
Sit benesuada Sitis, suadelâ suavior omni,  
Debet enim saltem par Sitis esse Fami.  
Est *ope* semper *opus*. Mare Tellus Ignis et Aer,  
Cuncta *Elementa* simul sic *Alimenta* parent.  
GRATIA reddatur, verbis contenta duobus,  
Responsumque unâ voce feratur, *Amen*.

## N O T U L Æ.

---

- 1.—“*Maribus*” à *Mas* et à *Mare* derivari potest, et propriè ergo “*in usum Delphini*” adhibeatur.
- 3.—Lucretius ii. 1. “*Suave mari magno turbantibus æquora ventis,*” &c.
- 9.—Anglicè *Whitebait*, non Gallicè *Blanc-mange*.
- 11.—Piscis Tributarius Sancti Petri, Anglicè *John Dory*, corruptio Italici *Janitore*, non Gallicè *Jaune-dorée*, ut quidam Lexicographi male dixerunt.
- 13.—Anglicè *Shrimp*, *Lamprey*, Horat. Sat. ii. 8. 42. Sic occidit noster Henricus I. Gallicè *Poison de Poisson*.
- 15.—Anglicè *Star Fish*.
- 17.—Anglicè *Lobster*.
- 19.—*Crabbe*, Poetarum de re Domesticâ facile princeps. Horat. Od. iv. 9. 28.  
Carent quia vate sacro.
- 21.—*Jus* Anglicè *Soup*, ut Horat. Sat. ii. 8. 69. unde derivatur “*Juice*” “*Summum Jus, Summa Inuria;*” proverbium celeberrimum est.

### III.—PROPRIA QUÆ MARIBUS.

---

“*Propria quæ Maribus*” tribuantur, ne quis “*in usum  
Delphini*” solum facta fuisse putet.  
“*Suave mari magno*” pisces spectare natantes,  
Suavius in mensâ cernere semper erit.  
Ter fluitare tamen proles Neptunia debet,  
Flumine, dein Succo, deinde natare Mero.  
Imprimis ori rectum dent Ostrea gustum,  
Mandere quæ fusco non sine pane decet.  
His bene depositis, numeros *Alba Esca* ministret,  
Neptuni Lacrymas quos Patris esse reor.  
Piscis et accedat, cui cara Pecunia habetur,  
Et nomen sanctus *Janitor* ipse dedit.  
Sitque inter Squillas Muræna, carensque veneno,  
Heu Regi mortem quod sine lege tulit.  
Quæ placet *Astronomis*, Citreo sed non sine succo,  
In lucem radios *Stella Marina* ferat.  
Unguis elatis sese Astacus erigat altè,  
Quem nimius cogit rite rubere calor.  
Quique *sacro* non *vate* caret sit proximus illi,  
Molliter et recubet *Cancer* in arce suâ.  
*Jus summum* subeat, ne summa *injuria* fiat,  
*Jus* etenim semper non sine *Jure* datur.  
*Jus Testudineum* detur de more Batavo,  
Cui merito viridis suppeditetur adeps.  
Hoc est *Jus* primum, nulli de *Jure* secundum,  
Unica *Lex* unum *Jus* satis esse probat.

## N O T U L A E.

---

5.—Virg. *AEn.* iii. 241—iii. 262—xii. 876.

11.—Juvenal vi. 165. “Rara avis in terris nigroque simillima Cygno.” Dodo est  
“*rara avis*,” quâ *Phœnix* rarior sed non melior est.

15.—Anglicè *Woodcock*.

16.—Anglicè *Jerusalem Artichoke*, corruptio Italici *Girasole*, Anglicè *Turnsol* (Sun-flower).

17.—Anglicè *Bird of Paradise*, Avium Cælestissima et epulis Trojanis dignissima.

19.—Anglicè *Quails*.

23.—Anglicè *Duck*, Gallicè *Canard*.

25.—Gallicè *Pâté de foie gras*.

#### IV.—DE RE ORNITHOLOGICA ΕΙΓΕΑ ΠΤΕΡΟΕΝΤΑ.

Nonne Ornithologis ἐπεια πτεροεντα placebunt,  
*Alatis* verbis nonne loquuntur *Aves*.  
Spiritus ut vivax melius tollatur in altum,  
Plurima ab aëriâ sede feratur avis.  
“ *Obscenæ Voluceres* ” *Cænæ* prohibentur adesse,  
Quod pudor ingenuus non dubitare sinit.  
*Harmoniam* stomacho *Philomelæ* lingua reducat,  
Quâ quasi dulcedo gutturus omnis inest.  
Sint etiam niveo *Cygni* de pectore ofellæ,  
Queis condimentum forte *Tomata* dabit.  
“ *Rara avis* ” accedat, nulloque simillima *Cygno*,  
Et tenerum *Dodo* præstet amica sinum.  
Finibus *Eutopiæ* *Phœnix* volitare videtur,  
Qui fieri *Cænæ* summa corona queat.  
Alaque sit *Galli de sylvâ* nomen habentis,  
Cui det *Flos Solis* *Pyramidalis* opem.  
Dignetur *Paradisus Avem* donare venustam,  
Cui leve *Pavonum* dent cerebella decus.  
Sintque *Coturnices*, *Quales* cecinere *Poetæ*,  
Queis levis *Asparagus* det geniale caput.  
Corda *Columbarum* furno calefacta sequantur,  
Deliciæ teneræ quas amat ipsa *Venus*.  
*Ductilis* adsit avis, caris dilecta puellis,  
Cujus ope infami garrula fama volat.  
Deinde jecur tumidum quod præbuit *Anser* obesus,  
Unde suam carnem sœpius hospes edit.

## N O T U L A E.

---

- 2.—Italicè *Agro-dolce*.
- 4.—Quasi sit Gallicè *Tête-à-Tête*.
- 5.—Gallicè *Pièce de Résistance*.
- 6.—Anglicè *Currant Jelly*, Currant. i.e. Prunum Corinthiacum.
- 7.—Anglicè *Sir-loin*, Ordine *Equestri* dignatus à Jacobo I. Factus est *Equs*, non *Equus*, ne triumpharent *Hippophagi*.
- 9.—Anglicè *Saddle of Mutton*, et *Brussels Sprouts*.
- 11.—*Hippophagi*, genus Caballinum et Cannibalinum.
- 15.—Lucretius iv. 1126. “Medio de fonte *Leporum* Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angat.” Ne Puellæ putent *Amari* esse infinitivum amænissimi verbi *Amo*, nec Pueri suspicentur ad *Bassi Cerevisiam* referri.
- 16.—Anglicè *Jugged Hare*.
- 17.—Anglicè *Buffalo*. *Tuber* in singulari significat *Hump*, in plurali *Truffles*.
- 21.—Tomacula, Anglicè *Sausages*, Cantabrigiæ inventa esse reor, ubi, et raro alibi, sunt verè Porcina.
- 23.—Gallicè *Pommes de terre à la Maitre d'Hotel*.
- 25.—Anglicè *Sudden Death*, nomen alterum Fungi. *Functus*, *Fungus*, et *Funus* sunt similia et fortasse consanguinea, et Boletus à *Bono Leto* derivari possit.

## V.—FORTITER IN RE.

---

Ornatum cristis Gallorum sit Caput Apri,  
Quo bene concocto dulcis amaror inest.  
Cui Caput accedat Vitulinum, cumque Cerebro,  
Ut sciat huic hospes par caput esse *suum*.  
Magna *Resistendi pars* adsit, Coxa Ferinæ,  
Cumque *Corinthiaco* constet edenda *Gelu*.  
Sitque Bovis lumbus, cui vox popularis honorem  
*Nocturni tituli* Rege favente dedit.  
Deinde apponantur Segmenta *Sedilis Ovini*,  
Queis Bruxellensis Brassica rite coit.  
Sit nihil *Hippophagis* nisi frusta *Sedilis Equini*,  
Nonne *Asino* bipedi fit cibus *æquus Equus*.  
*Hippophagi* pereant, Crocodili lacryma ploret  
Quos *Asinina* fides mandere mandat *Equum*.  
Ne quid deficiat “ medio de fonte *Leporum*,”  
De testâ *Leporum* rite sit assa caro.  
Bubalus et præstet montani *Tuberis* usum,  
*Tuberaque* auxilium dent generosa suum.  
Cruraque Ranarum quas Prata sine arte tulerunt,  
Et Cæpæ debet succus adesse comes.  
Sint quoque de vero confecta Tomacula porco,  
Qualia Granta facit, Mater et Alma vorat.  
Pomaque sint terræ sartagine frixa, *Magister*  
*Hospitii* nomen queis dedit ipse suum.  
Et ne quis trepidet *subiti* formidine *leti*,  
*Boleti læti* dent sine morte cibum.

## N O T U L Æ.

---

- 3.—Anglicè *Master of the Rolls*, et *Sweet Bread*.
- 8.—Anglicè *Topsy Cake*. Horat. Epist. i. 5. 16. “*Quid non Ebrietas designat?*”
- 9.—Gallicè *Méringue*, à prælio Marengovio vocata.
- 11.—Horat. Od. iv. 9. 28. “*Vultus nimium lubricus aspici.*”
- 12.—Gallicè *Soufflé*. Rore Maris, Anglicè *Rose-mary*, i.e., *Ros Marinus*, non *Rosa Mariæ*, ut puellæ credunt.
- 13.—Anglicè *Cheesecake*, quo Caseus non inesse solet.
- 16.—Anglicè *Pine Apple Cream*.
- 17.—Gallicè *Blanc-mange*, non Anglicè *White Bait*.
- 20.—Anglicè *Whipped Cream (Almond)*.
- 21.—Anglicè *Trifle*, cuius plusquam satis hic lector se habere fateatur. “*Vive la Bagatelle.*” Horat. A. P. 452. “*Hæ nugæ seria ducent In mala.*”
- 23.—Anglicè *Pancake*. Nonne Malum *Nomen Malum Omen*.

## VI.—SUAVITER IN MODO.

---

Suavia succedant irritamenta bonorum,  
Qualia foemineus gustus amare solet.  
*Pancrea* sit magno *Rotulorum* digna *Magistro*,  
Cui *Suavis Panis* creditur esse sacer.  
Osque Medulliferum thesauros spargat opertos,  
Qui calidum tosto pane cubile parent.  
Ut bene servetur Stomachi Concordia Discors,  
Sint eheu *nimio* liba soluta *mero*.  
Adsit ab Italico quæ Marte placenta vocatur,  
Quæ bellum *placet* bella *placenta placet*.  
Et vultus nimium dum lubricus esse videtur,  
Sint *Sufflata* novo crustula *Rore Maris*.  
Sitque teres popanum, cui nomen Caseus addit,  
Materiamque simul non retinere sinit.  
Et bene compressus Flos Lactis, Imaginis instar,  
Cui Nux contribuat Pinea dulce decus.  
Lac quoque concretum, titulum cui dat color album,  
*Lævius* et *levius* quo nihil esse potest.  
Ros sit Amygdaleus, dulcedine dulcior omni,  
Cui *manus immanis* verbera mille dedit.  
Sint *Nugæ* quales non in mala seria ducunt,  
Musula nam *Nugas edit editque* meas.  
Deinde ἀπὸ τῶν Μακαρῶν quod habet *Macaronica* Musa,  
Unde Poetarum creditur esse cibus.  
*Pancalon* accedit, ne sit male *nomen et omen*,  
Παν καλον omne bonum, Παν κακον omne malum.

## N O T U L A E.

---

1.—“*Ab ovo ad malum*” proverbium significans *ab initio ad finem*. Horat. Sat. i. 3. 6.

3.—*Ovatio* ab *Ove* (immolata), Virgil. “*Sic Vos Non Vobis Vellera Fertis Oves.*

5.—Anglicè *Plovers' Eggs.*

7.—Anglicè *Sweet Omelette.*

11.—Virg. Ecl. i. 35. “*Ingratæ premeretur Caseus urbi.*”

12.—Schola Salernitana dicit, “*Caseus est nequam quia digerit omnia sequam.*”

13.—Anglicè *Parmesan*, à *Parmâ* verbo Militari.

16.—Gallicè *Neuchâtel.*

17.—Anglicè *Celery*, *Beet-root*, *Salad.*

18.—Anglicè *Biscuit.*

19.—M. T. Bass, M.P. in cuius Cerevisiâ inest vera *Cereris Vis*, et cuius famam  
*Ultima Thule* non nescit.

21.—Anglicè *Soyer's Nectar*, *Seltzer Water*, *Soda Water*, quæ duo posteriora bene  
juncta valde laudanda sunt.

25.—In conviviis Publicis “*NON NOBIS*” plerumque cantari solet, sine quo.  
Stomachus Stomachatur, et Digestio non bene se agere dignatur.

## VII.—O V A T I O.

---

Nonne coronat opus finis. Sic itur “*ab Ovo*  
“*Ad Malum,*” finem non (mihi crede) *malum.*  
Non ab *Ove*, ut quondam, ducatur *Ovatio* ab *Ovo*,  
Sic vos non vobis *verba refertis Oves.*  
*Ovaque* succedant *Pluvialia*, *Ovatio* opima,  
Deposita in musco, qui quasi nidus erit.  
Intrita *Ovorum* tamen optima *Ovatio* habenda est,  
Qua bene *Fragorum fragrat amænus odor.*  
Illaque ni fallor *Victoria* summa *Culinæ*,  
Ille *Triumphorum maximus esse solet.*  
Adsit et ingratæ quod rus premit urbis in usum,  
Et præter sese digerit omne bonum.  
Qui capit à *Parmâ* vires ne sit nimis acer,  
Ne “*Casus Belli*” *Caseus* esse queat.  
Mollior et melior tamen est qui trans mare fertur,  
*Castellique Novi* nobile nomen habet.  
Cum *Celeri* coeat Betæ Radice *Salatum*,  
Paneque bis cocto stet *Caviare* recens.  
Sit quoque *Vis Cereris* (*Cerevisia* rite vocata),  
Quæ titulum *Bassi Burtonensis* habet.  
Scintillans tumeat Soyeri Nectaris haustus,  
Et sit Selzeriæ *Soda sodalis aquæ.*  
Cætera prætereant, nec *refert plura referre*,  
Ne *Carnem Carmen* lasset inane meum.  
Gratia cantetur, “*NON NOBIS GLORIA DETUR,*”  
Unanimâ resonet *GLORIA* voce chori.

## N O T U L A E.

---

I.—“*Palmam qui meruit ferat,*” proverbium celeberrimum. Ut à Merendo *Merenda*,  
Anglicè *Luncheon*, sic *Meritum* Anglicè *Dessert*, et *Palma* in *Desertis* crescit,  
et *Palmæ fructus Dactylus* vocatur, Anglicè *Date*, secundum *Chronologicos*.  
Hoc carmen omnibus aliis magis *Dactyliferum* est.

II.—Gallicè *Eau de Cologne*.

18.—Horat. A.P. 92.

## VIII.—MERITUM.

---

Quæ meruit bene Cæna ferat dignissima Palmam,  
Nam *Merito* Palmæ fructus ubique *Datur*.  
*Dacrylus* ut *Palmæ* decus his quoque versibus addat,  
Suavis in *ore* sapor, dulcis in *aure* sonus.  
. Promere delicias Oriens videatur abunde,  
Et varias fruges, omnigenasque nuces.  
Afferat illecebras dives Pomona supremas,  
Et quodcunque placet Flora beata paret.  
Floribus in mediis arrideat Hortulus infans,  
Quo facile ingenium luxuriare queat.  
Fons quoque sit laticis, quem pulchra Colonia gaudet  
Ad Rheni ripas fundere more suo.  
Nec Glacies desit quæ gaudia frigoris addat,  
Ne subitus pleno surgat in ore calor.  
Non quantum sed quale decet, sententia detur,  
Sitque nihil nimium, sit satis omne bonum.  
Unica servetur series et lucidus ordo,  
Et proprium teneant singula quæque locum.  
Non oblivisci munus geniale Palati,  
Ventrism et officium vix meminisse decet.  
Mellea verba fluant, nullum quibus insit acetum,  
Spargat quisque *Sales* ut Coquus ipse *Salem*.  
Præcipites sine lege jocos effundere oportet,  
Cuique *Comes* *Comis* *Comus* adesse velit.  
Utque sit eloquium Musis et Apolline dignum,  
Adjiciat vocum Musica dulce melos.

## N O T U L Æ.

---

- 1.—*Liquidatio* non de re Nummariâ sed Vinariâ hic usurpatur.
- 2.—Aliter, “ In Vino Veritas.”
- 5.—Anglicè “ *The Health of the Ladies,*” consuetudo saluberrima. Martial. i. 72.
- 7.—Anglicè *Champagne*, quasi *Sham-Pain*, vinum falsissimum cuius plus in Londino potatur quām tota Gallia profert.
- 12.—Anglicè *Madeira*. Tibull. ii. 1. 29.
- 13.—Anglicè *Sherry*, Hispanicè *Xeres*. Siccus est Græcè Ξηρός (Dry Sherry). *Gadet* hodie *Cadiz*, fortasse à *Cadis* (vini).
- 17.—*Carus* est Lucretii cognomen, ut *Tranquillus* Suetonii. Lucretius vi. 937.  
“ Commemorare quod in primo quoque carmine *Claret*.”
- 20.—Horat. Sat. i. 6. 1. “ *Hoc* erat in votis.”
- 22.—Horat. Od. i. 12. 3. “ Fortiter occupa *Portum*.”
- 26.—Anglicè “ *Punch*,” quod [in alterâ significatione] corruptum est à *Polichinel*. Consule ejus Editorem (*Notā Citreā* notum) in *Vico Classis* (Anglicè *Fleet Street*) No. 85.

## IX.—L I Q U I D A T I O.

---

Scilicet est Cænæ sine Baccho nulla voluptas,  
Inque *Liquore* bono cuncta *Liquere Liquet*.  
Omnis honor *Baccho* detur, nullusque *Tobacco*,  
Lumine cui Fumus carior esse solet.  
Proderit et liquidos meminisse Salutis honores,  
Estque Puellarum rite bibenda Salus.  
Copia fundatur *Falsi* (sine fraude) *Doloris*,  
Qui procul à *Vero* corda *Dolore* tenet.  
Quæ *Curas* abigat ne *Curasovia* desit,  
*Potio* enim *Potior*, *faustus* et *haustus* erit.  
Insula dives opum jucundam præbeat undam,  
Quæ cerebrum *siccum* sæpe *Madere* facit.  
Artis et Hesperiae tribuant miracula Gades,  
Quâ laticem *siccum* nobilis uva parit.  
Ferveat et Vinum Divinum, “*Lacryma Christi*,”  
Quæ bene fungatur *Relligione* loci.  
Sit quoque quod *Carus* vates *Decantat* amicis,  
Et cuius “*Claret*” fama colore suo.  
Germanumque merum quod laudat Horatius ardens,  
“*Hoc* erat in votis,” ut quoque semper erit.  
Fortius at vinum qui vult sibi, teste Poetâ,  
Occupat et *Portum* fortiter, ille sapit.  
Denique cum parvas jam Nox labatur in horas,  
Ad Somni Templum Buccina quemque vocet.  
Haud Mora. *Libentur* tum pocula plena *libenter*  
Nomine quæ gaudent, POLICHINELLE, tuo. [244.]

AUGUST

